



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris Theologia Tripartita Universa

Complectens nunc Bibliothecam perfectam Viri Ecclesiastici, ordine
sequenti

Controversiae Heterodoxae Ac Scholasticae - Cum speciali Notitia rerum
Modernarum, & Chronologia totius Monarchiae Sacrae, & Saecularis,
Pontificum, Conciliorum &c. Haeresum omnium, ac Propositionum
damnatarum Mundi Sex Aetatum ...

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

P. 12. Absolutio, & Confessio Venialium

urn:nbn:de:hbz:466:1-38447

inefficacem & insufficientem, si non daret eadem dispositio pro tempore futuro, & non inferat applicationem mediorem. Ac si prima dispositio etiam optima, non esset mutationi obnoxia, nec possit variis modis, & illecebris debilitata paulatim deficere. Cavendum insuper est ne hac viâ pedetentim accedatur ad doctrinam in Tridentino damnatam. *Sess. 6. cap. 25.* Ubi anathema intorquet, si quis dicat, eum qui labitur, & peccat, nunquam verè fuisse justificatum.

P. II. Dilatio pro quovis mortali.

Differenda est absolutio etiam curvis peccatori culpam lethalem confesso donec notabili tempore vitam emendaverit: nisi absolutionem efflagitet justa necessitas, vel adsint signa conversionis omnino extraordinaria.

Peccat hæc praxis in eo, quod requirat ante absolutionem à quovis etiam peccato graviore præmitti notabili tempore emendationem ac satisfactionem. Ac si non possit homo, gratiâ Dei & libero arbitrio instructus, vel subitò, vel brevi saltem tempore ad meliorem frugem se convertere. Cùm supponendum sit peccatorem sufficientis gratiæ adjutorio non destitui.

Argumentum quod aliqui in oppositum adducunt, à similitudine Medici corporalis qui vult ægrum identidem redire, ut sciat quid medicamenta præscripta profuerint, videtur potius contra dilationem istam absolutionis militare. Nam imprudens omninò censeretur Medicus, qui v. g. Sagittam vulnus lethale inferentem non prius extraheret, quam patiens illâ sagittâ confixus, esset per alia remedia valetudini restitutus. Peccatum mortale esse hujusmodi sagittam docet non tantum S. Chrysostomus, sed etiam post illum ipse Catechismus Romanus cap. 5. num. 97. *Non satis est (inquit) Sagittam à corpore extrahi, sed plaga quoque à Sagitta insulsa curanda est. Sic etiam in anima post receptum peccati veniam poenitentia curanda est plaga relicta.*

Et Catechismus idem cap. 5. num. 82. *Si (inquit) auditâ confessione Confessarius judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem poenitentem omninò defuisse, absolvi poterit.* Potest autem Confessarius advertere illum dolorem, & diligentiam adfuisse immediatè ante absolutionem. De his agimus fufius infra part. III. Tract. II. quæst. 14. & 15. item Tract. IV. cap. 5. circa finem.

P. 12. Absolutio, & confessio venialium.

Cavenda quoque sunt hæc nova quorundam dogmata. *Improbanda est frequens absolutio à peccatis venialibus, qualis in Monasteriis est usitata. 2. Apud Christianos primitivos Ecclesia non erat usus confitendi venialia.*

Opponitur generatim utrique propositioni doctrina Tridentini *Sess. 14. cap. 5.* Peccata (inquit) venialia rectè, & utiliter, & citra omnem præsumptionem in confessione dicuntur, quod Piorum hominum usus demonstrat. Agnoscat Concilium illum esse usum piorum hominum, eumque esse rectum & utilem. Infero primò, Ergo rectè tam in Monasteriis, quam à piis passim hominibus praxis illa usurpatur. Et ne dicas posse quidem fideles ea peccata utiliter confiteri, non tamen absolvi, & expiari, Contrarium ibidem innuit Tridentinum, dum subdit, eadem multis aliis modis expiari. Infero secundò, Ergo Confessio venialium apud fideles pios, ac probos fuit in usu in

primitiva Ecclesia. Hoc si neges, infero ulterius; Ergo in primitiva Ecclesia ab Apostolis edocta, peccata venialia non erant materia idonea Sacramenti poenitentiae, alias Christiani in primæva Ecclesia piæ ferventes illa confiteri non prætermisissent: esse autem venialia materiam Sacramenti, nemo ut arbitror orthodoxus inficiabitur.

Ut hæc periculosa dogmata Apostolicæ doctrinæ amatores averterentur, non parum conducet digritum intendere in fontem minimè sincerum ex quo hæc perniciosi rivuli in aliorum libellos profuxerunt. Delibo pauca ex Litteris Abbatis Sancyrani part. 1. lec. 32. Confessio (inquit) peccatorum venialium non fuit in usu ordinario per Ecclesiam nisi valdè serò ad expiationem ipsorum: quia spatio mille annorum & amplius iusti, qui ea committebant, satis habebant plurimum eligere suâ sponte quasdam poenitentias leves, priusquam assisterent Sancto Missæ Sacrificio.

Hic ille est Sancyranus proprio nomine Joannes Vergerius, qui inter alia novæ doctrinæ capita, statuit æqualitatem omnimodam inter S. Petrum & S. Paulum absque subordinatione in potestate suprema, & regimine universalis Ecclesiæ. Hanc autem doctrinam, nec non quoslibet libros illam continentes, ab Innocentio X. constat esse autoritate Apostolicâ profligatam, & omni censurâ dignissimam.

Exemplar Diplomatis Urbani VIII. Anno 1641. Confirmantis Constitutiones Pii V. & Gregorii XIII. contra Propositiones vulgò Bajanas ab iisdem prohibitas &c. Item Constitutio Alexandri VII. & Prædecessoris contra Propositiones Cornelii Jansenii: Et alia huc pertinentia.

Quoniam in hoc Opere, & in aliis hoc tempore Controversiis non rarò occurrit mentio prædictorum Dogmatum, & quæstionum ex illis emergentium: hinc sæpè dubitatur, qualia sint singula dogmata, quo modo, tempore, tenore præscripta. Per commodum igitur pluribus erit, præsertim Missivatiis, si hic ipsa Pontificum Diplomata, & dogmatum seriem, ac verba integrè exhibeamus. Ut quoties de his dubium exoritur, ad primævum, & sincerum Fontem recurratur.

Urbanus Episcopus Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei Memoriam.

In Eminentis Ecclesiæ militantis Sede, meritis licet imparibus constituti, sedulò meditatur, ut quæ, ad fidei Catholicæ conservationem, à Prædecessoribus nostris providè statuta, & ordinata sunt, firmiter perpetuo observentur; & cum opus sit, nostræ auctoritatis munimine confirmantur. Dudum siquidem a fel. record. Pio Papa V. Prædecessore nostro emanavit Constitutio tenoris subsequens, videlicet, PIIUS Episcopus Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco à Domino constituti, tam lucuoso tempore sustinemus, ille animû nostrû præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Christiana tantis jam pridè turbinationibus agitata, novis quo-